DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUAEDAM

DE

APOPLEXIA SANGUINEA

COMPLECTENS.

12

DISSERTATIO MEDICA,

QUAEDAM

DE

APOPLEXIA SANGUINEA

COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI*, CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

CAROLUS GUALTERUS WELCHMAN,

ANGLO-BRITANNUS.

Quod potui, feci.

Ad Calend. Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT NEILL ET SOCII.

MDCCCXVII.

PATRI CARISSIMO,

EDVARDO WELCHMAN,

ARMIGERO,

APUD *KINETON*,

IN COMITATU WARWICI,

ARTEM CHIRURGICAM FELICISSIME FACIENTI,

S. P. D.

Nulli, Carissime Pater, tam ritè quàm tibi, qui ab aetate primâ hucusque, cum curâ verè paternâ me fovisti, studiorum meorum primitiae dedicari queant: Hoc, igitur, tentamen, heu! beneficiorum eximiorum multorum leve pignus! sed animi in te semper grati, et, quocunque terrarum hospes deferar, pietatis haùd unquàm immemoris, praestaturi, testimonium, accipias oro.

Multos annos vivas et valeas, aurae felices tibi semper afflent, serusque in coelum redeas, spero et imo ex corde voveo. Vale.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUAEDAM

DE

APOPLEXIA SANGUINEA

COMPLECTENS.

C. G. Welchman Auctore.

HISTORIA MORBI.

Morbus, de quo pauca hisce in paginis agere in animo est, saepe sine dubio occurrit ; sed non tam frequenter quàm vulgò putetur : quandoquidem omnes ferè morte subitaneâ correpti Apoplexiae succubuisse a populo dicuntur, quam-

vis plurima mala, quibus eorum interitus ritè tribueretur, existere possint, veluti magni vasis ruptio, vel materia vomicae in pulmones aut in asperam arteriam sic effusa, ut suffocatio illicò excipiat, et similia, quae apoplexiam mortis intempestae non causam fuisse monstrant.

Siquando sensus et motus voluntarius plùs minùsve deficiant, cum sopore, simulque motu cordis, et respiratione adhuc perstantibus, (quae tamen nonnihil plerumque laedantur), Apoplexia vocatur.

Plerisque in exemplis morbus subitò et sine ullo praenuncio aggreditur; et homo, vel statim animam edit, vel vitam per paucos tantùm dies miserrimè terit. Haud raro, autem, multa indicia satis manifesta ejus accessum praedicant, quae, ut a malo, et naturâ et effectibus tam gravi et lethali praecaveatur, attentionem medici maximo jure sibi vindicant; etenim si reverà supervenerit, vix ad eum prorsus depellendum, paralysi nimirum cujusdam corporis partis permanente, unquam valere possumus.

Haud

Haud absimile esse videtur, sanguinis impetum caput versus auctum, speciem apoplexiae efficientem, eos qui a podagrâ laborantes repentinò mortui fuerint, jugulâsse.

Apoplexia saepe haereditaria existit, senioresque potiùs, scilicet annos quadraginta et plures natos, quàm juniores afficere reperitur; etiamsi hi ne incolumes quidem evadent, dummodò proclivitas fuerit magna, et validae causae excitantes adhibitae, et saepenumerò repetitae. Obesi quoque, et habitûs corporis pleni, parum se exercentes, cibo lauto et multo meracis potûs utentes, iique, quibus vultus tumidus, caput magnum et cervix perbrevis sunt, magis huic morbo objiciuntur.

Affectiones animi, et mentis vires plurimum semper ferè mutantur et laeduntur, hocque in statu diù manent, postquàm symptomata maximè urgentia superata fuerint. Memoria imprimis adeò imminuta est, ut res in mente sana impressionem validissimam et satis diuturnam facturas

turas aegrotus reminisci nequeat; et conditio demum a fatuitate haud multùm remota frequentiùs inducta fuit.

Sensus externi quoque, præsertim visus, tactusque, unà cum loquelae facultate, sæpè minuuntur, vel nonnunquam omninò desunt.

Si aliquis unam accessionem experiatur, ut ad reditum posthac maxima proclivitas inducatur, satis superque docuit experientia; et æger ab accessu tertio, vitâ salvâ evadere rarissimè observatus fuit.

Illum igitur, qui periculum semel effugerit, ab omni causa excitante maximâ cum curâ præcavere valdè oportet; quippe quia aberratio vel levissima, a solito vitae genere temperato in magnum discrimen eum adducere possit.

Apoplexiae apud Doctorem Cullen definitio haec est: "Motus voluntarii ferè omnes immi-

"nuti,

"nuti, cum sopore plùs minùs profundo, super-
"stite motu cordis et arteriarum." Speciei autem Sanguineæ apud eundem sic invenimus; "Apoplexia, cum signis plethorae universalis et "praecipuè capitis."

Signa benè multa, et peculiaria, ut suprà dictum est, hunc morbum praecedunt, quorum pauca hìc enumerare liceat.

Dolor imprimis capitis frequens, sanguinis ad faciem fluxus, ejusque e naribus et e venis haemorrhoidalibus profluvia, quae in corpore plethoram manifestè ostendunt.

Nausea, vomitus, flatûs eructationes, aliaque dyspepsiae indicia, haud raró praenuncia spectantur, quæ nunc a consensu ventriculum inter et cerebrum intercedente, nunc ab ipso ventriculo se malè habente, scilicet usu victûs nimis lauti, et liquorum spirituosorum vel fermentatorum debilitato, pendere videntur.

Quidam

Quidam stupor mentem subindè rapiens, et brevi decedens; auriumque tinnitus, vel interdum surditas perfecta; oculorum hebetudo, vel tota, sed perbrevis visûs privatio, aliaque hujus sensûs vitia, veluti muscae volitantes, et visus duplex, et strabismus, quae, vîs retinae imminutae, et musculorum oculi paralyticorum, ideòque ad munera sua parùm valentium, clara testimonia habeantur.

Homines alicujus membri, vel hujus unius musculi, aliquando etiam per aliquot menses ante morbi accessum, torporem sæpè experiuntur.

Oscitatio frequens, debilitas, et ad animi deliquium proclivitas, vertigo, cogitationes vagantes, in iis ad apoplexiam praedispositis occurrentes, attentionem potissimùm semper postulant.

Memoriae defectus interdum tantus est, ut res maximi momenti nullo modo retinere queat.

Hujusmodi

Hujusmodi exemplum Doctor GREGORY, in ejus Praelectionibus eximiis narrat, quandam foeminam tam immemorem fuisse factam, ut neque quot liberos habebat, neque quos eorum nuptos, recordari posset. Dolor etiam, et sensus ponderis vel tensionis per frontem, incubus, manûs tremores, inter indicia apoplexiae instantis characteristica recenseri debent.

Siquando balbutiat vel in quâvis corporis parte debilitas sit, vel titubet, vel demùm subitò sine ullâ causâ evidente corruat, plurimum est quod timeamus, et, ut a morbi accessu instante praecaveatur, statim consilia capiamus.

Proclivitas haereditaria, aetas, formaque capitis et cervicis, medici attentionem, ut malum benè praevertatur, rectè omninò vindicant; plùsque adhuc obesitas, plethora vel habitus plenus, quippè quae multò faciliùs sublevari possunt.

Symptomata apoplexiae jam praesentis, alia atque alia quod ad severitatem, diversis in exemplis, se produnt.

Sopor interdum imperfectus est; stupor, scilicet, quodammodo existens, aeger autem adstantium dicta, quamvis in comate profundo esse videatur, distinctè audit et intelligit. Interdum verò perfectus reperitur, neque sentire, neque quidem, stimulantibus vel validissimis, e somno excitari saepè queat.

Motus voluntarius quoque plùs minùs minuitur, nunc in uno latere; nunc in partibus tantùm quibusdam, veluti in musculis oculorum aut oris; nunc demùm totum corpus resolvitur; et quidam singulares casus observati sunt, in quibus musculi lateris alterius resolvebantur, alterius convellebantur.

Pulsus varius est; vel frequens, validus, plenus et durus; vel tardus, debilis et irregularis; et mutationes multas et magnas saepè, in brevi temporis spatio, patitur.

Inter

Inter medicos plerumque constat, compressionem cerebri modicam semper ferè pulsum celeriorem facere, et pressuram valdè auctam effectum prorsùs contrarium praestare.

In quibusdam apoplexiae casibus, facies coloris rubri, interdumque ad lividum spectantis; in aliis, autem, pallida est, et cadaverosa. Saepè quidem fluxus sanguinis ad caput tantus est, ut arteriae temporales et caroticae fortiter micare observentur. Facultas devorandi vel amissa, vel tantùm difficilis et impedita est.

Status alvi nonnunquam à solita nihil mutatus; sed frequentiùs adeò pertinaciter constipatus est, ut purgantia vel validissima ad eam movendam aegerrimè valeant. Conditiones quoque urinae organorum penitùs diversae aliis aliisque in exemplis existunt; nempè, aeger aut nihil omninò reddere possit, aut stillicidium constans, malum verè molestissimum, fiat; haec a sphincteris paralysi, aliarum

verò fibrarum vesicae musculosarum illa pendens.

Stertor inter spirandum, quod tam saepè cerebrum compressum comitatur, aliquando in hoc morbo abest. Pupilla vel contracta vel praeter solitum dilatata spectatur, et praesertim sub finem lethalem valdè patula, neque lucis stimulo utcunque valido parens.

Secretiones plerumque impeditae ; sudor, tamen, profusus saepè erumpit, et ferè haud faustum indicium habeatur, quia vasa extrema multùm relaxata ostendat, mortemque frequenter praecurrat. Tactus ubique corporis plùs minùs diminutus, paralysin nonnunquam comitatur, earumque imprimis partium quae maximè resolvuntur, quamvis nihil hujusmodi in aliis casibus accidat. Aeger, etiam cùm loqui non potest, ejus manum ad caput subindè admoveat, certum indicium doloris ibi loci acuti existentis. Musculi lingua adeò paralytici fiunt, ut ne conatu quidem ullo eam ex ore extrudere queant,

vel

vel si quod factum sit, ad unum ferè latus, quodque primo aspectu mirum videatur, ad latus resolutum, impellatur; cujus rei tamen ratio minimè obscura est.

Partes corporis quae paralyticae fiunt, praesertim si a venenis metallicis in id receptis, vel alio modo ei admotis, veluti a plumbo, arsenico, &c. paralysis oriatur, ferè multùm marcescunt.

Denique observare hìc liceat, hominem hoc morbo aggressum, subitò corruere cum sensu et motu voluntario perditis, difficultate, et stertore spiritûs, palpebris vel penitùs occlusis, vel leviter apertis, facie rubrâ vel coloris purpurei, pulsu duro, valido, et pleno. Sanguis e vena missus cùm coiit, crustam coriaceam, omninò ei similem, in omnibus morbis inflammationem habentibus, observatae, semper ferè praebet.

CAUSÆ.

Causae hujus morbi excitantes plurimae existunt, quarum verò omnes auctum sanguinis caput versus impetum efficiendo, vel ejus reditum aliquo modo impediendo, suum effectum nocivum magis vel minùs praestant.

Usus liquorum spirituosorum frequentissima et validissima causa excitans esse haud injustè recenseatur; et hi non modò ad caput sanguinis quantitatem majorem impellendo, sed etiam si in ventriculum magnâ copiâ recepti fuerint, affectu in cerebro tanquam specifico nocere videntur. Exercitatio vehemens, qualiscunque sit, saepè et facilè eum inducit; veluti risus immodicus, tussis, sternutatio, vomitus, cantus vel clarâ voce loquens, nixusque ad alvum evacuandam validus.

Balneum

Balneum quoque calidum et electricitas causae possunt enumerari. BURSERIUS casum duorum Germanorum militum, fratrum, narrat, qui postquàm fumum Nicotianae tabaci plurimum in ora, pignore opposito, inhalaverant, subitò apoplectici mortui sunt.

Plena et diuturna inspiratio, et caput in situ inclinato diù retentum, aliqatenus sanguinis ab eo reditum impediunt, ideòque apoplexiam excitant. Affectus animi excitantes, veluti ira, et gaudium ; excessus veneris, vapores narcotici, multum caloris externè corpori admoti, qualis praesertim in magnis conventibus accidit, potentissimae causae excitantes, et hic etiam praedisponens, meritò existimantur. Ingens vis capiti illata, ebrietas quocunque modo inducta, ligaturae circa collum firmiter constrictae, tumores ibi loci, et in thorace, vasa sanguinem reducentia ita comprimentes, ut congestio intra caput inducatur, quae etiam à statu vasorum ipsorum morboso fiat, inter causas excitantes jure recensentur.

Ventriculus

Ventriculus quovis cibi aut potûs genere, sed praecipuè naturae valdè stimulantis multùm distentus, et demùm quicquid, vel sanguinis reditum impediendo vel praeter solitum ejus affluxum efficiendo, congestionem in cerebro inducere potest, apoplexiam sanguineam excitet; et hoc modo ratio cur caput subitò volutum, corpore simul immoto, hunc morbum faciat, facilè reddi queat. In hominibus malo valdè praedispositis, sanatio ulcerum veterum, quae multum puris effundere solebant, et epistaxis per intervalla rediens suppressa, et haemorrhoides curatae, huic ortum saepè dederunt. Paralysis quae in junioribus interdum accidere observatur, a convulsionibus et epilepsiâ frequenter repetitis plerumque oritur.

Frigus, utì causa excitans hìc non praetermittendum est, et si aequum sit, casum in Diario Chirurgico et Medico Doctoris DUNCAN memoratum, et a Doctore KELLIE apud Letham tractatum, citare volui, quia non tantùm effectus frigoris intensi insignes docet, sed etiam exem-

plum

plum est eximium illius assiduitatis, et ingenii, et scientiae medicae, propter quae hic semper clariùs enituit, et profectò ob quae solum omnis medicus honorem laudemque meretur. Juvenis annorum sexdecim, et socii aliqui, in naviculam ad horam post meridiem secundam ingrediebantur, atque hinc illinc in sinu navigantes, cùm portum denuò circiter horam quartam petebant, in vado linter illisit. Socii se refectos redituros polliciti eum reliquerunt. Paulo post e littore quidam nautae in puppi extensum eum prospiciebant; sed dormire credentes, nihil mali per aliquot horas suspicabantur; quo tempore frigidus, sensu carens inveniebatur, et ad domum vicinam illicò afferebatur. Ibi Doctor KELLIE ante focum resupinum, ferè exanimem, totum corpus, praeter vultum, cui color naturalis fuit, pallidum, cadaverosum, et admodum frigidum, motu et sensu deficientibus, brevi videbat. Maxilla decidebat; respiratio vix percipienda; sed pulsus distincti, quamvis irregulares, et tardi sentiebantur; oculi lucis stimulo immobiles manebant; pupillae dilatatae, irregulariter contra-

hebant,

hebant, perinde ac eos hominis jam mortui interdum Doctor KELLIE perspexit. Humiditas coeli, frigoris effectibus multùm favebat; et aeger ipse, priùs a fatigatione et inediâ infirmabatur; sed idoneis remediis fortunatus ad sanitatem fuit redactus.

Exemplum notabile hujusmodi frigoris effectuum, memoratur in tomo secundo celeberrimi Centurionis COOKE cursuum maritimorum, a Doctore HAWKSWORTH editorum; sed non oportet narratio propter longitudinem hìc locum habeat.

Illustrissimus BOERHAAVIUS cùm iter in curru leviore per Bataviam faciebat, ab algore in maximum vitae discrimen versabatur. Torpor per omnia membra primò serpsit, et paulatim cupido dormiendi tanta fiebat, ut ne ampliùs, quamvis periculi minimè fuit ignarus, resistere posset. Auricula, qui ab casuum similium experientiâ ejus effectum lethiferum cognoverat, eum diu frustrà convocans, flagellum

liberè

liberè applicavit, quo parùm dubii sit, quin a morte instante eriperet.

Frigus in hoc morbo excitando agere ita videtur, ut sanguis a corporis superficie depellatur, ideòque congestio in partibus internis, imprimis in cerebro, fiat; quo compresso, iste sopor, tam apoplexiae similis, ferè non resistendus, accidit, et si non diligenter caveatùr, et festinanter fugatur, vix non hominem extinguere poterit.

Demùm, quosdam valdè proclives, nullâ causâ excitante admotâ, adoriri observatur, scilicet, praedisponens facta sit causa excitans. In plerisque tamen exemplis, aliquid praeter causam praedisponentem, nunc leve, nunc gravius, ut morbus insultet, efficit. Denique ista constipatio senibus familiaris, plethoram gignendo et congestioni favendo, proclivitatem, siqua profectò in corpore adfuerit, maximè auget.

Praecipuae causae praedisponentes hae sunt, nempè, plethora generalis; victus nimis lautus, ususque liquorum spirituosorum et fermentatorum quotidianus; caput praeter solitum magnum, collum breve; assuetae evacuationes suppressae; et aetas provecta.

DIAGNOSIS.

DIAGNOSIS.

Morbi quibuscum Apoplexia Sanguinea confundi possunt, perpauci inveniuntur. Syncope, Epilepsia, et interdum Hysteria, ferè enumerantur. Ab horum primo facilè dignoscatur motu cordis et arteriarum haud deficiente, stertore spiritûs, et colore faciei livido.

In Epilepsia, convulsiones laterum corporis amborum vehementes, praecipuè vultûs musculorum, ex ore spumans, et aura epileptica praecedens, ab apoplexia satis et facilè eam distinguunt.

Vix aut ne vix quidem, ut opinor, inter hanc et Hysteriam confundatur, quanquam in exemplis quibusdam foeminarum habitûs pleni, et valdè obesarum, symptomata haud apoplexiae absimilia nonnunquam se produnt; plerumque autem pulsus naturalis, respiratio irregularis,

scilicet

scilicet nunc tarda, nunc festinata, suspiratio, convulsiones, vel totius corporis contortiones, globus Hystericus, diagnostica satis valida habeantur.

Ebrietas aegerrimè ab hoc malo aliquandò distinguitur, et eò magis quòd apoplexia mox pòst multum vini hausti accidere possit; pulsus verò parvus, debilis, et frequens, cum facie pallida, et peculiari stolido oculorum aspectu, in diagnosi formanda utilissimus est. Oportet etiam historia vitae, et aegri pristinae valetudinis nunquam negligatur.

PROGNOSIS.

PROGNOSIS.

Cum organum et vitae, et sanitati tam necessarium, in hoc morbo laesum esse reputemus, certè oportet, ut de fine sive laeto, sive infelici, cautissimè praedicamus. Si aeger juvenis sit, vitamque temperatam, et pudicam degerit, anteque omnia si impetus lenis fuerit, et symptomata, idoneis remediis adhibitis, multùm et citò se remiserint, parùm ferè obstat, quo minùs prognosin quodammodo faustam statuamus.

Contrà autem siquando morbum signa vehementia, veluti sensus et motus voluntarius omnino deficientes, stertor spiritûs, sopor altissimus, vultus plurimùm suffusus, pulsus parvus, debilis et irregularis, sudores per totum corpus frigidi et viscidi, pupillae dilatatae, neque lucis stimulo parentes, comitentur, et ne sanguinis missioni cedant, quod effusionem alicubi in cerebro

rebro factam semper ferè docet, sed praefractè persistunt, cum urinae et alvi evacuationibus invitis, exitus infaustissimus est expectandus; eòque in angusto magis spes erit, quò plures accessus expertus fuerit.

RATIO

RATIO MEDENDI.

Cum proclivitas cujuscunque corpori haeret, et morbi instantis indicia planè perspiciuntur, vel magis adhuc, si priusquam eum detinuerit, oportet regimen antiphlogisticum strictiùs praescribatur; veluti a liquoribus fermentatis et spirituosis abstinentia, cibus praecipuè ex frugibus, potus ex aqua, cujus verò quò minus, eò melius.

Sales medii purgantes frequenter exhibiti, ita ut aliquandiu alvus bis terve in die cieatur, exercitatio modica et crebra, haud immeritò perutilia laudantur.

Fonticulus alicubì in corpore excitatus, sanguinis detractio per cucurbitulas cruentas vel hirudines admotas, semper conveniunt; neque parum commodi præbent. Hujus missio autem generalis

generalis sæpè iterata, plus nocere quàm prodesse ferè reperietur, quippè quæ, ut benè notum est, sanguinis molis incremento nonnihil faveat, ideòque proclives malo magis opportunos reddat; qui certo tempore anni quidquam humoris ejus, viâ arte factâ, amittere assueti, si fortè hanc consuetudinem neglexerint, statim malè quodammodo se habent; et plethorâ sic inductâ, spontaneis sanguinis profluviis se ipsam exonerare Natura conatur, cujus aemuli nunquam in aegris talibus huic non animum attendere debemus.

Remedia, apoplexiâ jam aggressâ, efficacissima admodum promptè adhibenda sunt, quorum omnium optimum aestimatur venaesectio. Cùm ad aegrum primùm advenimus, in locum spatiosum afferendus est; ejus caput et humeri elevanda; et quicquid sanguinis reditum ex illo impediens, utì ligatura circa collum, &c. removeri debet; deindè, ipso facto, sanguis ad uncias triginta, vel secundum hominis vires, abstrahatur, et prout res postulaverit, iteretur; neque a qua corporis

corporis parte, dummodo satis eliceatur, multùm refert.

Si ventriculus a cibi aut potûs onere gravetur, vomitorium, quale corpus minùs irritet, et agitet, ejusque effectum celerrimè efficiat, scilicet, sulphas zinci, pulvis ipecacuanhae, vel infusum anthemidis nobilis, administrandum sit; venâ tamen semper priùs apertâ.

Purgatio alvi plena etiam instituenda est, cùm devorandi facultas adhuc manet; sin minùs enema purgans ejiciatur, et sic frequenter ducenda, donec medicamenta per os assumere valeat. Validiora purgantia, nimirùm, gambogia, colocynthis, jalapa, et eorum quoque copiâ magnâ, ut alvus satis moveatur, plerumque requirantur.

Aqua frigida, vel cum aceto mista, vel solutio salis ammoniaci, vel aether, capiti abraso et aëri exposito, multo commodo applicentur. Fortassè

haud ineptum fuerit interdum crura fovere et calidâ aquâ lavare.

Si aliquid membrorum paralyticum factum esse videbitur, ad omne auxilium, quod ullo modo ad pristinum statum sentientem reducere possit, statim confugiendum est; et ad hunc finem vesicatorium artui affecto admotum, frictio panno laneo et linimentis stimulantibus maximè laudantur. Porrò, aegrotus, si omninò fieri possit, eum assiduè movere debet; sin minùs, conatus etiam ipsi movendi multùm prodesse reperientur, et semper igitur suadendi sunt. Scintilla electrica in paralysi a quibusdam maximè celebrata fuit; sed de ejus utilitate, nisi in iis casibus a venenis metallicis assumptis, veluti post colicam pictonum, exortis, aliquis dubitandi locus existere queat.

HAEC, postremò, sunt, quae de Apoplexiâ Sanguineâ dicenda habui ; et quamvis perplurima disputatione digna adhuc supersint, me, his omissis, magis invitum quàm conscium errâsse facilè confiteor, igiturque fretus judicum penitùs clementiâ, hoc tentamen, qualecunque sit, nunc subjicio.

FINIS.